

1529. à 5. Februarii.

Ex ms. arch. Stan. Aug. Reg.

Petrus Tomicki episcopus Cracoviensis
Regni Poloniae Vicecancellarius. Nicolao
Tomicki Castellano Gnesnensi, Costrensi
Pisdrensi Coninensi Capitaneo.

Magnifice domine frater germane charissime
Accurrit hic Gierdorf cubicularius regie Ma-
jestatis die dominico preterito, qui et plurimas
litteras, ad nos et alios dominos, et legationem
novam, et collegam vestrum dominum Juca-
merarium attulit, quam ipse dominus Juca-
merarius, cum prius eam nobis legendam
prebuisset, legi fecit in medio Consilio, cum
enim satis longa fuerit, non potuit illam tam
subito memoria commendare, et lingua, no-
stra ita ut erat scripta exponere. Verum su-
per ea, quemadmodum et super aliis legatio-
nibus vestris nihil adhuc est deliberatum,
neque consultum, per hos enim dies conti-
nuos tractavimus cum dominis Masoviensi-
bus ad unionem regni, et equanimitatem
onerum, illos reducere volentes, et quantum
nos conijcere possumus sine magno negotio
et labore reducere illos possemus, si modo ali-
qui nostrates nollent esse tædiosi in tracta-
tibus cum illis, illi enim ut homines pru-
dentes proposuerunt aliquos articulos, quos si-
bi et negotiis suis domesticis necessarios esse
putarunt, eosque petunt sibi confirmari, et
ut regia Majestas illos suscipiat et confirmet
optant se in hoc per universum Senatum

assecurari

assecurari, aliqui tamen nostri domini nolunt
cum eis de eis ipsis articulis disputare, sed vo-
lunt simpliciter ut jam nobiscum sedeant, et
de defensione communi, atque aliis publicis ne-
gotiis consulere non detractent, illi vero non pri-
us nobiscum sedere et consulere volunt, nisi
prius illos literis nostris assecuremus quod re-
gia Majestas onera illorum antiqua abroga-
bit et deponet, juraque et statuta, libertates
et consuetudines eorum antiquas, una cum ar-
ticulis per eos propositis et conscriptis con-
firmabit. Nos cum plerisque aliis dominis
qui ayrimus et huic tragedie tandem finis
debitus imponatur, et defensio aliqua firma
et solida instituaturs et decernatur, hoc agimus
et curamus, ut quemadmodum aliis terris Ma-
soviensibus, ut terra Ravennis et Ploensis, que
pari modo ad corpus regni deciderunt, deposi-
ta fuerunt, et abrogata onera antiqua et ju-
ra statuta, immunitates, libertates, et consue-
tudines illorum, una cum nonnullis articu-
lis confirmat, ita illis non negaretur id quod
illi absque ullo dispendio dignitatis regie
Majestatis et jurium regni petunt, hodie
autem ad summum apparebit, qualem finem
cum eis simus habituri. Quicquid vero postea
tractatum et decretum fuerit aut e diverso si
propter discordiam nostram cogemur, hinc
rebus infectis abire, quod nos ne fiat mo-
dis omnibus adjuvemur, et proinde curabi-
mus, faciemus vos de hoc aliis literis no-

his certiores. Mittimus ad vos literas quas
 attulit Gien dorf ex Lithuania, quarum unas
 tantum que scriptae sunt ad nos nominere
 quo nos resignavimus putantes in illis ali
 qua contineri, que spectarent ad communem
 consultationem nostram. Valetudinem Vestram
 curate diligenter, et felicissime valete cum
 vestris omnibus. Datum Varsovie 6. Februa
 ri Anno domini MDXXIX.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]